THEOLOGICÆ THESES

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. IOSEPHI

COM. ARCHINTO

DEI, ET S. SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS.

SANCTISSIMI D. N. D.

INNOCENTII D. P. PAPÆ XI.

Prælati Domestici, & Assistentis, eiusdemq; & d. S. Sedis

APVD SERENISSIMVM

MAGN: ETRVRIÆ DVCEM

CVM FACVLTATE LEGATI DE LATERE NVNCII APOSTOLICI, &c.

Defendendæ,

In Ecclesia Sanctiss. Annunciata,

A P. FRANCISCO GABRIELE CARCASSOLA

Inter Baccalaureos Minimo.



FLORENTIÆ, apud Vincentium Vangelisti Archiep. Typogr. 1686. *Super perm.*

THEOLOGICÆ
THESES

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. IOSEPHI
COM. ARCHINTO

DEI, ET S. SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPI
THESSALONICENSIS

SANCTISSIMI D. N. D.

INNOCENTII D. P. PAPÆ XI.

Prælati Domestici, & Assistentis, eiusdemque, & S. Sedis

APVD SERENISSIMVM

MAGN: ETRVRIÆ DVCEM


CVM FACVLTATE LEGATI DE LATERE NVNCII
APOSTOLICI.

Dedicatæ,

[illegible]

A P. FRANCISCO [illegible]

Iuxta [illegible]



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. DOMINO.

DIdicisse videtur ab increato creatum lumen cunctis prodesse, & quamuis limitatum bonum mirandum adeò quam sui difusiuum; Ex inanimatis nullum penè arbitror, cuius, vel esse, vel conseruari eius auró non comparetur: Nulla equidem ex secundis vniuersalior causa viuentia quæque (vno dempto homine) dè Serenissimi huius Principis thæsauró viuunt; sed quomodo! Iam dixi. Satis fuit soli Increatum lumen diuinitatis radio

animasse hominem vt indè sciret, & ipse cum luce instillare vitam. Te quoque Illustrissime, ac Reuerendissime D. Gentilitia Aquila Duce totum radijs preter antiquissimæ Nobilitatis clarissimos in omni genere fulgentem solis instar cerno, ideo humilissime precor benignissimo tuo aspectu Theologicas has Thæses animare vt sic æternitati tui Nominis viuant, & æternum præbeant Obsequij mei monumentum.

Addictiss. Famulus
F. Franciscus Gabriel Carcassola.

DE

DE DEO VNO.

I.

DEVM sub ratione Deitatis esse obiectum attributionis sacræ Theologię cum sit sermo de Deo superni luminis illustratione habitus non veremur asserere.

II.

Dei tanta est eminentia vt incomprehensibilitas illi conueniat relate ad omnem intellectum creatum, siue creabilem, etiam beatificum quippe qui si omnes creaturas possibiles tum specie, tum numero in ipso intuitiue videret adhuc tamen Deum ipsum non comprehenderet.

III.

Hęc propositio DEVS EST non est nobis per se nota, esto Deus sit primum cognitum à nobis, cognitione tamen confusa, & naturali.

IV.

Essentia Dei si physice spectetur complectitur omne genus perfectionis simpliciter simplicis, scilicet esse spirituale, esse volitiuum, intellectiuum, &c. Metaphysicè verò consideratam in solo prędicato asseitatis consistit.

V.

Implicat intellectus creatus, aut creabilis cui conaturaliter competere possit visio intuitiua ipsius Dei, repugnat namque creatura quę sit ex natura sua beata seu cui debeatur beatitudo.

VI.

Oculus corporeus nè dum naturaliter sed neque supernaturaliter potest videre seu eleuari ad videndum Deum, siue sermo sit de visione corporea, siue de spirituali.

Licet dè factò concurrat lumen glorię cum intellectu beati ad visionem beatificam eliciendam, potest tamen Deus potentia absoluta per auxilium extrinsecum gerere vicem ipsius luminis.

VIII.

Intellectus perfectior cum equali luminę glorię elicit visionem Dei perfectiorem sub ratione vitalitatis, non autem sub ratione beatitudinis, & visionis supernaturalis.

IX.

Cum obiectum visionis intuitiuę Dei sit essentia ipsa Dei, & Trinitas Personarum sequitur ob eorum identitatem, quod non possit videri essentia sine Personis, neque vna Persona sine alia

X.

Si per impossibile quis videret essentiam non visis Personis, aut vnam Personam absque alijs adhuc esset beatus.

DE DEO TRINO IN PERSONIS.

I.

Deus Optimus Maximus in essentia vnus, & in Personis Trinus, ità Vnitatem cum Trinitate in se ipso complectitur, vt neque essentia à relationibus, nec relationes ab essentia ex natura rei distinguantur. Immò cum nulla sit contradictio inter prędicata, quę affirmantur de essentia, & ea quę negantur de relationibus reiicienda pariter est distintio virtualis (vt aiunt) intrinsica.

II.

Dantur in Diuinis tres subsistentię relatiuę, sicut & tres Personę vnde subsistentia physicè communis omnibus tribus Personis, atquè absoluta est penitus impossibilis aliter daretur quarta Persona Diuina constituens quaternitatem quam negat, & prohibet omnino fides catholica. Pro-

III.

Processio Verbi Diuini ideò proprie est generatio quia est à natura, hoc est à principio productiuo eius, in quo est primo, & per sè, & non secundum accidens; & quia processio Spiritus Sancti non sic se habet ideo nullatenus est generatio. Insuper Verbum est genitum, non Spiritus Sanctus, quia primum procedit, vt immago perfectissima Patris. Secundus vero vt amor perfectissimus vtriusque Persone.

IV.

Principium formale, quo completum Diuinarum processionum, & Personarum procedentium formalitates absolutas, & relatiuas complecti necesse est; si autem de principio inadequato sit sermo, productiuum est sola Personalitas, assimilatiuum vero est sola essentia.

V.

Totum suppositum Filij est terminus quo siue totalis, & adequatus Diuinę Generationis; terminus, vero formalis productionis in sola relatione filiationis consistit; Hæc enim sola producitur, & est ratio cur Verbum dicatur productum: Si vero est sermo de termino formali communicationis in sola essentia atque formalitatibus absolutis consistere dicendum est. Sola enim essentia est in qua Personę Diuinæ primario communicant.

VI.

Verbum Diuinum, vt pote perfectissimum est formaliter expressiuum omnium quę sunt formaliter in Deo, igitur ex cognitione trium Diuinarum Personarum procedere necesse est, nempè procedit ex cognitione expressiua non solum Patris, sed sui ipsius, atque etiam Spiritus Sancti, atque adeo est expressiuum omnium Diuinarum Personarum.

VII.

Verbum Diuinum est perfecte comprehensiuum Diuinæ essentiæ; & per consequens asserendum est procedere formaliter ex cognitione omnium creaturarum possibilium; est enim cùm ipsi ita necessario conexa Diuina Omnipotentiâ, vt non existeret quælibet exillis reddita impossibili.

VIII.

Cum nihil sciat Verbum, quod non audierit à Patre, etiam ex cognitione creaturarum futurarum procedere formaliter defendimus; igitur nedum scientia simplicis intelligentiæ sed etiam scientia visionis communicatur formaliter Verbo Diuino.

IX.

Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt amor mutuus, adeoque vtramque Personam vt sui Principium ratione suę proprietatis Personalis exigit. Facta tamen Hypotesi impossibili si Spiritus Sanctus non procederet à filio adhuc dicimus distingui ab ipso realiter personaliter.

DE SCIENTIA DEI.

I.

Intellectus datur in Deo nedum per modum actus secundi; sed etiam per modum actus primi, igitur agnoscendum est in Deo Intellectiuum radicale, immo etiam concedendum est Deo prędicatum proprium habitus intellectiui, de cuius ratione est, reddere intellectum promptę, & expedite cognoscitiuum: Non valet dicere Intellectum Diuinum de se facile intelligere, id enim solum euincit prædicatum habitus atque facilitatis identificari cum ipso intellectu Dei.

II.

Scientia Dei alia est simplicis intelligentiæ, alia visionis, ex quibus potius prima, quam secunda est causa rerum. Per illam cognoscuntur à Deo entia possibilia etiam in seipsis. Per hanc

cognoſcuntur contingentia abſolute futura, non quia ſint phyſicè prȩſentia Deo ab ȩterno, neque in Decreto ipſius Dei, aut cauſa libera proximè diſpoſita ſed in ſeipſis. Inter has duas ſcientias mediat ſcientia conditionata qua cognoſcit Deus certò omnia contingentia conditionate futura non in Decreto, ſed in ſeipſis.

III.

Voluntas Dei eſt libera libertate arbitrij, & indiferentiæ perfectiſſima, quò circa neque phyſicè, neque moraliter neceſſitatus ad has potius creaturas volendas, quam illas. Libertas diuinæ voluntatis non eſt in ordine ad volitiones ſiue nolitiones obiectorum ad extra ſed in ordine ad ipſa obiecta volita, vel nolita, licet enim volitionis, ſiue nolitionis entitas adequate identificetur cum Deo, tamen, vt libera completur formaliter per obiecta ipſa extrinſeca. Velle igitur liberum Dei eſt entitas neceſſaria Diuini actus, & obiectum ipſum externum.

IV.

Omnipotentia Dei non eſt abſoluta à Creaturis poſſibilibus, neque id exigit eius infinita perfectio, ſed eſt neceſſariò connexa cum illis. Vnde qualibet ex illis reddita impoſſibili non eſſet idem Deus ſimpliciter qui de facto exiſtit, immo abſolute non eſſet Deus: Ex hoc tamen male colligitur Deum pendere à creaturis, earumque poſſibilitate.

DE ANGELIS.

I.

ANgelorum naturam; humana prȩſtantiorem fatemur; ſicuti, & purè ſpiritualem, ſimplicem, ab intrinſeco, & eſſentialiter incorruptibilem.

II.

Sunt Angeli multiplicabiles nedum ſpecie, verum etiam numero ſub eadem ſpecie infima.

Non

III.

Non intelligunt per potentiam superadditam, cum in ipsis sit idem potentia intellectiua, & essentia, hæc tamen distinguitur ab omni sua cuiuscumque obiecti intellectione.

IV.

Principium quo proxmum cognitionis Angelicæ circa possibilia, eorumque quidditates, neque est ipsa substantia Angeli neque sunt species impressæ, sed habitus scientialis, quo eorum intellectus constituitur proximè potens ad cognoscendas essentias rerum vt possibilium.

V.

Remouemus ab Angelo species impressas ad cognoscendam intuitiuè suam entitatem, nec non accidentia naturalia sibi inherentia. Sic etiam non indiget speciebus impressis ad cognoscenda tum spiritualia, tum materialia sufficienter presentia.

VI.

Non habent Angeli species rerum naturaliter futurarum, imò ab initio creationis Deus non impressit species creaturarum tunc existentium, neque eas immediatè acceperunt à creaturis singularibus.

VII.

Obiectum adequatum Angelici intellectus, est omne intelligibile, quod aliqualiter ab illo cognosci potest, hoc est naturaliter, vel supernaturaliter intuitiuè, vel abstractiuè, directe, vel indirecte, intra hoc obiectum admittimus cogitationes cordis alieni quo ad entitatem, non quo ad directionem in fine.

VIII.

Cognitio Angelica non estenditur ad cognoscenda certo, & infallibiliter futura contingentia, & libera, secus verò naturalia, quæ cognoscere possunt in causis naturalibus.

Su-

IX.

Supernaturalia, seu misteria gratiæ quoad substantiam, non possunt cognosci certò, & euidenter neque mediatè, neque immediate, possunt tamen cognosci quoadmodum.

X.

Peccauerunt de facto Angeli, sed non in primo suæ creationis instanti, an autem in eo potuerint peccare incertum est placet tamen negatiuam sententiam tueri.

XI.

Angelos inflexibiles non physicè, sed moraliter dicimus tam ad actus naturales, quam supernaturales.

XII.

Angelica loqutio non consistit in intellectione loquentis impressa in audiente, neque in specie impressa producta à loquente in audiente; neque in volitione manifestandi suum conceptum, sed consistit formaliter in conceptu quodam reflexo intellectus voluntarie elicito.

XIII.

Angeli sunt in loco determinato, & definito verè; & proprie; non tamen per operationem, neque per substantiam, sed per vbi intrinsecum prædicamentale.

XIV.

Primum Luciferi peccatum non fuit Luxuria quædam spiritualis sed superbia appetendo non equalitatem cum Deo in natura sed in dominio supra cæteros Angelos, hoc presumens sibi deberi naturaliter.

XV.

Demonum pęna in Inferno oritur ab igne non naturaliter sed supernaturaliter operante, atque vt moraliter eleuato à Diuina omnipotentia.

Disputabuntur publicè Florentiæ in Ecclesia SS. Annunciatæ pro solemnitate D. Dominici ab eodem P. Bae qui supra sub assistentia Adm. Reu. Patris Magistri Gregorij Aloysij Tonelli Florentini in eodem Conuentu studij Regentis. 1686.